



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 8. Politia Gallorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147


in læuam torquebant, *Plinius*; conuersi in dextram, *Athenens.*

§. 8. *Politia Gallorum.*

NON hîc attingam Annij commenta, quæ suo Berofo affinxit. Certiora sunt quæ habet Liuius lib. 5. regnante Tarquinio Prisco, Biturigas toti Celticæ dedisse Regem, tumque Ambigatum dictum. Sed procedente tempore mutatus Reip. status, aliis populis Monarchiam, aliis Aristocratiam præferentibus. Apud Aruernos & Heduos tempore Cæsaris creabantur magistratus, apud Senonas, Sequanos, Bellouacos, Reges Eligebantur autem ex virtute, vt ex Cæsare collegimus. Tandem ab eo omnes deuieti sunt, qui Romam ipsam deuicerat, inquit *Mela*, paucis libertate seruata, quæ sensim quoque euauit. Sub Imperatoribus vsque ad Maximinum auaritiæ potiùs Romanorum quàm Barbarorum incursionibus patuit: quid enim sub Tiberio, sub Nerone, sub initia Seueri non est passa Gallia? Maximinus & Decius in eam irrumpentes Germanos represserunt. Sub Gallieno pessimè acceptæ item à Germanis, qui tum primùm ab Aurelio victore dicuntur Franci. Tum quoque hîc nouem ex 30. Tyrannis rerum potiti sunt, præcipui Posthumus, Lollianus, Marius, Victorinus, Victoria eius coniux, Terricus ab Aureliano, quia voluit, victus. Postea dirius vexatæ à Germanis Gallia, sub Probo, Diocletiano, Constantino, sub quo etiam adiunctæ sunt turbæ domesticæ, creato Augustoduni Magnentio, itémque postea Syluano Francorum duce, qui Colonia cæsus est. Per Iulianum Apostatam etiam irrumpentes Germani repressi sunt, sed iterum renouatæ sub Iouiano & Valentiniano eorum excursiones, à quo etiam euocati Burgundiones Germanorum hostes, & cum damno Romanorum irrisi. Neque melior sub Valente, & Gratiano status, & maximè cæso per Maximum Tyrannum Gratiano: quando & pars Galliarum, Armorica dicta, Britannis cessit. Sed compositæ per Theodosium turbæ, ac restitutus Imperio Occidentis Valentinianus secundus. Sub Honorio huc Barbari penè omnes confluxerunt. Tum ab Galliâ repulsi Franci, sed Gothi Aquitaniam, & Narbonensem prouinciam occupauerunt; Burgundi Sequanorum agrû, hîcque & vicinis regionibus tenaciùs adhæserunt. Sub Valentiniano tertio Aëtius Romanorum Imperium hîc reparare potuisset

à quo Pharamūdus, & filius eius Clodio Comatus Rheno coërciti sunt; sed obstitit inuidia Imperatoris. Venit euocatus in Gallias Merouæus, vt obsisteret Attilæ; victus Attila; & sublato Aëtio, Franci in Galliâ resederunt in Belgica, vbi Regio primùm Francia dicta, quæ sensim accreuit, & nobilissimæ Christianorum Monarchiæ dedit initium.

§. 9. Diuisio generalis.



CAPVT II.

Diuisio Galliarum ex Iulio Cesare.

Sic loquitur lib. I. Commentariorum Cæsar. *Gallia est omnis diuisa in partes tres, quarum vnâ incolebant BELGÆ. Aliam AQUITANI, tertiam qui ipsorum lingua CELTÆ nostra GALLI appellantur, &c.*

Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidunt. Et paulò post. Lacus Lemanus, & flumen Rhodanus PROVINCIAM NOSTRAM ab Heluetiis diuidunt. Quomodo autem diuisio hæc conueniat cum verbis Strabonis ex Iulij Cæsaris Commentariis, legatur Casaubonus ad principium lib. 4. eiusdem Strabonis.

SYLLABVS VOCVM IVLII CÆSARIS.

<p>A</p> <p>A Dualdubis vox corrupta pro Dubis.</p> <p>Aduatici: Comté de Namur, & partie du Brabant.</p>	<p>Aduatuca, seu Aduaca: Tongerē.</p> <p>Ædui: les Eueschez d'Autun, Châlons, Neuers, & partie de celuy de Mafcon.</p> <p>Agendicum: Sens.</p>
--	--

T t ij